

quàm legis veteris Sacerdotum autoritas : atqui Judei tenebantur horum iudicio stare ; ergo et Fideles in Evangelicâ Lege , sequi debent iudicium à Pastorum suorum corpore pronuntiatum jamverò , in rebus ad fidem pertinentibus , nemo tenetur alicui iudicio firmiter adhærere , nisi ab autoritate infallibili prodierit ; ergo , etc.

Prob. 4<sup>o</sup>. Sic promittit Christus Apostolis : *Ego rogabo Patrem , et alium Paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiscum in æternum , Spiritum veritatis . . . . ille vos docebit omnia , et suggeret vobis omnia quæcumque dixerò vobis.* ( Joan. 14. v. 16 , 17. et 26. ) Apud illos sanè est de rebus fidei , sine erroris periculo , iudicandi privilegium , quibus semper adest Spiritus veritatis , qui ipsis suggerat quidquid Christus docuerit : atqui Spiritum illum non Apostolis duntaxat , sed et ipsorum successoribus semper adfuturum esse promisit Christus ; pollicetur enim Spiritum veritatis cum Apostolis mansurum esse in æternum : atqui illud non potest ad solos Apostolos pertinere , siquidem morituri erant , ergo hæc promissio spectat etiam ad successores Apostolorum , quatenùs cum Apostolis unicam , ut jam diximus , efficiunt personam moralem.

*Solvuntur objecta.*

Obj. 1<sup>o</sup>. His verbis , *ecce vobiscum sum , etc.* Christus singulis Apostolis seorsim sumptis erroris immunitatem contulit. Unde sic ; non magis probant laudata verba datam esse Pastorum universitati , sive corpori , erroris immunitatem , quam singulis Pastoribus : atqui certè eam singulis seorsim Pastoribus datam esse non probant præfata Scripturæ verba ; ergo nec Pastorum universitati

Resp. Neg. maj. Evidens quippè est præfatum textum de solis Apostolis non esse intelligendum siquidem *ad consummationem usque seculi* victuri non erant ; ad successores igitur Apostolorum etiam spectat , in ipsorumque gratiam aliquid probat :

atqui certè non probat ipsis singulis concessam esse non errandi privilegium , 1<sup>o</sup>. quia hac de re omnem ambiguitatem tollit experientia , qua satis compertum est singulos Pastores non esse infallibiles ; 2<sup>o</sup>. quia ad retinendum posterisque transmittendum fidei depositum , necesse est ut corpus Pastorum in his quæ ad fidem pertinent iudiciis , erroris periculo non subiaceat ; Deus autem suæ Ecclesiæ non deest in necessariis : ut verò fidei depositum maneat integrum , non requiritur in singulis pastoribus *infallibilitas* , ut satis patet ; superest igitur , ut ex prædicto textu colligatur prærogativam in rebus fidei non errandi , soli Pastorum universitati , sive corpori , à Christo concessam fuisse.

Obj. 2<sup>o</sup>. Hæc Christi verba , *ecce ego vobiscum sum* , nihil probant , si non semper auxilium efficax designent : atqui res ita est ; siquidem Gedeon cui dixerat Deus : *Ego ero tecum* , ad idololatriam postea Israëlitas induxit. ( *Judicum cap. 8.* )

Resp. Dist. maj. Si non semper auxilium efficax , pro iis rebus designent ad quas referuntur conc. maj. in omnibus , neg. maj. disting. pariter min. Prædicta verba quoad omnia quidem auxilium efficax non designant , sed tantum quoad ea propter quæ dicuntur : Porro Deus Gedeoni efficaciter adfuturum se promiserat : ad debellandos Madianitas , quos reipsa devicit ; non autem propter aliud. Præterea non desunt Interpretes quis Gedeonem excusent.

Obj. 3<sup>o</sup>. Præsentia quam Ecclesiæ promisit Christus non impedit quominus peccent pastores , ergo nec quominus errent.

Resp. Neg. consequ. et parit. Promisit enim Christus se modo quodam peculiari adfuturum esse Ecclesiæ pastoribus *docentibus* , *euntes docete* , etc. Ac proinde nunquam in fide errabit Pastorum universitas moralis. Christus verò singularem opem non pollicitus est Ecclesiæ Pastoribus *agentibus*



Quamvis igitur contingeret, ut eorum pars maxima malè ageret, non inde sequeretur suis Christum promissis defuisse.

Obj. 4.<sup>o</sup> Quamvis Ecclesiæ Judaicæ promissa fuerit *infallibilitas*, erravit tamen dùm Sadducæorum de resurrectione et animæ immortalitate errores, et falsas Phariseorum traditiones approbavit; quidni de Ecclesia Christiana idem dicere liceat.

Resp. Variis quidem erroribus legem Mosaicam adulterârunt Sadducæi et Pharisei; sed eos documentis publicis non approbavit Synagoga, sive corpus Sacerdotum. Si enim errorem credendum ita proposuisset, numquid Judæis Christus præcepisset: *Quæcumque dixerint vobis, servate et facite!* (Math. 23. 3.) In ea Christi verba sic notat Bossuet: *Il fait deux choses, l'une, de déclarer cette Chaire pure jusqu'alors des erreurs courantes parmi les Docteurs qu'elles n'avoit point passées en dogme; l'autre, d'établir la maxime sur laquelle roule la Religion, et le remède perpétuel contre les Schismes; que la corruption des particuliers laisse en son entier l'autorité de la Chaire.* (2. Instruct. pastor. sur les promesses de l'Eglise.)

Aliæ quæ objici solent difficultates, vel supra dissolutæ fuerunt, vel opportuniùs solventur, ubi de Conciliorum generalium autoritate sermo erit.

#### C O R O L L A R I U M.

*Ergo Ecclesia circa morum doctrinam infallibilis est.*

Prob. Ecclesia in iis falli non potest, quæ ad fidem et revelationem pertinent, ut constat ex modò dictis: atqui morum regulæ ad fidem et revelationem pertinent. Sint in exemplum istæ; Deus super omnia amandus est, et proximus diligendus propter Deum; nefas est creaturam prop-

terse, et tanquam finem ultimum diligere; hominem privata autoritate occidere, homicidi crimen est; mendacium, furtum, et alia id genus, illicita sunt, veraque peccata: atqui illæ morum regulæ, aliæque similes ad fidem et revelationem pertinent; ergo etc.

#### A R T I C U L U S III.

*De Pastorum universitate vel unanimitate ad infallibilem Ecclesiæ definitionem requisita.*

Duplex distinguitur universitas et unanimitas, *physica* nimirum, quæ ex omnium Pastorum, nullo excepto, consensione coalescit; et *moralis*, quæ sita est in omnium ferè Pastorum consensu

#### R O P O S I T I O I.

*Ad infallibilem Ecclesiæ definitionem requiritur moralis Pastorum universitas, sive unanimitas.*

#### A R G U M E N T U M P R I M U M.

*Ex Christi promissione.*

Illis competit privilegium non errandi quibus dixit Christus; *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi; ego rogabo Patrem, et alium Paraclerum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum, et suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis: Atqui non ad majorem partem, verum ad Pastorum universitatem hæc verba spectant ergo; etc.*

Hinc Vincentius Lirinensis docet, in *Ecclesia Catholica magnoperè curandum esse, ut id teneamus, non quod alicubi, aut à majori præcisè Episcoporum parte creditur; sed quod ubique,*



quod semper, quod ab omnibus creditum est . . . ut sequantur universitatem, antiquitatem, consensionem hoc est, eam fidem quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. ( 1. Commonit. circa initium. )

Hinc etiam illustrissimus Bossuet : Hæc loca Scripturæ : Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi — portæ inferi non prevalebunt adversus eam — Ecclesia quæ est columna et firmamentum veritatis ; Hæc . . . ab omnibus Catholicis uno ore sic intelliguntur, ut sit certissima, invictissima, eminentissima Ecclesiæ Catholicæ consentientis autoritas . . . quæ omninò efficiunt, ut in ipsa consensione vis illa indeclinabilis et sit, et esse credatur; existitque omninò ex Ecclesiarum consensione clara et manifesta vox, quæ non partes Ecclesiæ, sed ipsam universalitatem audiri, teste Vincentia Livinensi, perspicimus: sequemur autem, inquit, universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia . . . Ex his duplex intelligitur ratio agnoscendæ Catholicæ veritatis; prima ex consensione Ecclesiæ ubique dispersæ; secunda ex consensione Ecclesiæ in Synodis œcumenicis . . . adunatæ. Quam utramque rationem à nobis sigillatim exponi oportebit, ut vim illam infallibilem et ineluctabilem in toto Ecclesiæ corpore repositam esse clariùs demonstremus. ( Defens. Cleri Gallic. lib. 7. cap. 5. pag. 5. et 6. tom. 2. edit. Amstel. 1743. )

## ARGUMENTUM II.

### Ex Conciliis.

Ex Conciliis liquet, non a majori numero, verùm ab Ecclesiæ consensione suam firmitatem trahere judicia dogmatica. Cujus rei luculentus terris est Bossuet: Id ergo primum, inquit, probare aggredimur ex Conciliorum gestis . . . omninò nihil habitum esse pro infallibili atque irrefragabili nisi

id quod universalis Ecclesiæ consensione confirmatum esset. ( Ibid. pag. 6. )

Primum exemplum offert Concilium Hierosolymitanum, in quo præstitutam videmus formam quam posteri sequerentur: atqui ibi non ex plurimum duntaxat sensu, verùm ex communi sententia, et Spiritus Sancti autoritate conditum fuit decretum: *Placuit nobis collectis in unum . . . visum est Spiritui Sancto et nobis.* ( Act. 5. v. 25 et 28 ) Ibi ergo firmum ratumque fuit, non quod numero plures; sed quod commune sacri Collegii suffragium constituisset. Ad Ecclesias perlatum est decretum, jubenturque fideles *custodire præcepta Apostolorum et seniorum.* ( Ibid. v. 41. ) Unde liquet inconcussam decreti vim, non in Petri unius aut plurium sententiâ sed in Pastorum autoritate concordissimâ, esse repositam.

In Concilio Ephesino eadem religiosè servata est regula. In eo lectæ sunt et totius Synodi assensu probatæ Imperatoris litteræ, quibus Patres hortatur, ut quod omnibus placitum probatumque erit, communi . . . Sententiâ constituatur decernaturque. ( Tom. 3. Concil. 1. part. cap. 36. pag. 444. ) Imperatori igitur et Synodo œcumenicæ persuasum erat, non partem Ecclesiæ, non plurium sententiam sed unanimem assensum decretis Conciliorum vim conciliare indeclinabilem.

Eadem prorsus fuit Concilii Chalcedonensis ratio. ( Ex illius gestis ) inquit Bossuet, *liquidò constat . . . ipsum irrevocabilis decreti robur in consensione esse positum.* Ibid. lib. 7 cap. 16. pag. 25. ) Firmissimum non esse iudicium, cui majoris duntaxat partis accessisset consensus, ad eò persuasum erat omnibus, ut Synodi decreta confirmare, atque inter publicas leges recensere non antè voluerit Imperator, quàm comperisset eâ ex communi approbatione fuisse condita: *Justissimus Imperator ad sanctam Synodum dixit: dicat S. Synodus si secundum omnium sanctorum Episcoporum expositionem de-*



finiitio nunc relecta, prolata est. Omnes clamaverunt omnes sic credimus; una fides, una voluntas, omnes ad ipsum sapimus, omnes consensientes subscripsimus. (Conc. tom. 4. pag. 605.)

Denique à Veterum more non recessisse Concilium Tridentinum, testantur Autores qui Synodo interfuerunt, et præsertim Payva, Theologus doctrinâ et eruditione conspicuus. Declarat omnia ibi diligentissimè pertractari solita, et nihil confici, quandiu graves aliquot et spectati viri à majori numero dissentiant. Quod ita factum esse asserit, ne quidquam præter Conciliorum veterum morem consideretur. (Defens. Trident. fidei. Lib. de Concil. gener. autorit.)

In eadem Synodo vehementer urgebant Itali, aliique multi, ut Romanus Pontifex diceretur Ecclesiæ universalis Rector; vehementius autem Galli nostri repugnabant. Ea de re monitus Pius IV, respondit sibi futurum satis, si illæ tantum definitiones ederentur, in quas Patres unanimi consensu conspirarent. (Palav. Histor. Concil. Trid. lib. 19. cap. 15. pag. 336. tom. 3.) Quod Pii IV responsum laudat Bossuet, ut tantâ sede, tantoque Pontifice dignissimum. (Defens. Cleri Gallic. append. lib. 1. cap. 2. pag. 6. tom. 2.)

Longè plures Synodos œcumenicas allegare facile esset, si brevitatis sineret.

### ARGUMENTUM III.

Ex controversia inter S. Stephanum et S. Cyprianum olim coorta.

Definitio non habetur ut infallibilis, nisi quia est opus Ecclesiæ: atqui non censetur esse hujusmodi, si major duntaxat Episcoporum pars, etiam summo Pontifici conjuncta, non autem moralis eorundem universitas et unanimitas in eam definitionem consenserit: si enim aliquod de fide de-

cretum eo ipso censetur opus Ecclesiæ, quod ipsi suffragetur major Episcoporum pars Papæ adherentium, tanquam Hæretici et rebelles, habendi essent alii Pastores, numero pauciores, qui huic decreto refragarentur: atqui tamen illud falsum esse demonstrat celebris Stephanum inter Papam et sanctum Cyprianum controversia. Nam Stephanus definierat iterandum non esse Baptismum ab Hæreticis datum; major Pastorum pars ipsi adhærebat, teste Augustino: Multi, inquit, cum Stephano, quidam cum Cypriano sentiebant: (Lib. de unico Baptismo, cap. 14. n. 23.) atqui nihilominus sanctus Cyprianus et alii habiti sunt ut Catholici; non autem ut Ecclesiæ rebelles: imò non ausus fuisset ipsemet Augustinus de Baptismo ab Hæreticis dato pronuntiare, priusquam rem definiisset concordissima Ecclesiæ autoritas. Nec nos ipsi, inquit, tale aliquid auderemus asserere nisi universæ Ecclesiæ concordissimâ autoritate firmati, cui et sine dubio cederet Cyprianus, si jam illo tempore questionis hujus veritas eliquata et declarata per plenarium Concilium solidaretur. (Lib. 2. contra Donat. cap. 4.)

Quâ in re audiamus doctissimum perinde ac prudentissimum D. Fleuri: Ce qui fait que l'erreur de saint Cyprien et de saint Firmilien ne nuit point à leur sainteté, c'est qu'ils conserverent toujours de leur part l'unité de l'Eglise et la charité; et qu'ils soutenoient de bonne foi une mauvaise cause qu'ils croyoient bonne; et sur laquelle il n'y avoit point encore de décision reçue par un consentement unanime de l'Eglise; c'est ainsi qu'en parle saint Augustin, ne comptant pas pour dernière décision le décret du Pape saint Etienne, quoique véritable dans les fonds, et révêru de toute la force qu'il pouvoit lui donner. Aucun des anciens n'a accusé ces saints Evêques d'opiniâtreté; pour n'avoir pas obéi à ce décret: (Hist. Ecclésiast. Tom. 2. pag. 294.)

Porrò si majori Pastorum numero, non autem



moralī ipsorum unanimitati, illigata esset Ecclesie infallibilitas, non ita Cyprianum excusassent Veteres.

PROPOSITIO III.

Ad infallibilem Ecclesie definitionem non requiritur  
physica Pastorum unanimitas.

Prob. 1<sup>o</sup>. Quia in eo sita est unanimitas physica, quod omnes omnino Pastores alicui definitioni ita consentiant, ut nullus dissentiat: atqui huiusmodi unanimitas ad infallibile Ecclesie iudicium minimè necessaria est: privilegium enim non errandi, ut jam diximus, Pastorum collegio et societati a Christo promittitur: atqui Pastorum collegium; seu corpus, ex unanimitate et universitate morali coalescit; quemadmodum et quilibet alia societas: quis enim negaverit legem aliquam totius esse societatis, cum in eam constituedam omnia ipsius membra, paucissimis exceptis, conspiraverint? 2<sup>o</sup>. Infallibilitatis prærogativa Ecclesie à Christo concessa, non est inutilis et prorsus otiosa: atqui tamen talis erit, si ut vim et effectum obtineat, necesse sit omnes prorsus Episcopos alicui definitioni adherere: cum enī quilibet Episcopus, seorsim sumptus, erroris periculo subiaceat, vix contingere poterit unum aut alterum aliorum omnium decreto non refragari, ergo; etc. Hinc sanctus Basilius: *Fuerat iustus, inquit, res nostras æstimare, non ex uno aut altero eorum, qui ad veritatem non recto pede ingrediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum, qui conjuncti sunt nobis.* (Epist. 73.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1<sup>o</sup>. In alio quolibet Tribunali, ad iudicium sufficit major suffragiorum numerus; ergo pariter satis est in Ecclesia, nec requiritur unanimitas moralis.

Resp. Suae sunt singulis Tribunalibus leges, et quidem variae; pro variis, de quibus agitur, negotiis: aliquando sufficit suffragiorum numerus pluralis; aliquando ex tribus partibus, duæ requiruntur: maxima est in ea re diversitas; ex mente igitur Legislatoris pendent huiusmodi leges: atqui ea fuit Christi voluntas, multis Scripturarum Traditionisque oraculis declarata, ut Ecclesiasticorum iudiciorum firmitas, in his quæ ad fidem pertinent, ex morali unanimitate pendere; ergo, etc.

Obj. 2<sup>o</sup>. Aut dicendum est in majori numero semper sitam esse iudiciorum Ecclesiasticorum firmitatem, aut fatendum nullam esse in Ecclesia certam veritatis regulam; siquidem statui non potest quis ad unanimitatem moralem requiratur Pastorum numerus.

Resp. nihil esse in hac difficultate, quod non possit in ipsam Ecclesie Catholicitatem retorqueri: nam constat apud Theologos, Ecclesie diffusionem esse debere moralem universalem; numquid ergo dici poterit, nunquam constare an Ecclesia sit Catholica, quia facile definiri non potest, quot et quantas occupare debeat Prævincias, ut ejus propagatio merito dicatur moraliter universalis? Assignari etiam vix potest, qualis præcisè testium numerus factum aliquod reddat moraliter certum, et tamen moralem factorum certitudinem nemo sanus in dubium revocat; ergo pariter, licet præcisè definiri non possit qualis obsistentium Pastorum numerus moralem universitatem et unanimitatem tollat, nihilominus certum esse potest, pro variis rerum circumstantiis quandonam adsit, vel absit unanimitas illa moralis: generatim autem respondere licet, eam tunc adesse, cum verè dici potest omnes ferè Ecclesie Pastores; in admittendam quandam doctrinam conspirare bene concordēs.

Obj. 3<sup>o</sup>. Maximum in nostrâ sententiâ reperitur incommòdum: inde enim sequeretur Eccle-



siam; quandiù in eà moventur controversiæ, non fore visibilem; siquidem incertum erit quanam ex parte stet Ecclesia, utrùm ex ea quæ numero major, an ex illâ quæ minor.

Resp. Nullo modo pertimescendum esse hujusmodi incommodum; quia dissentientibus à se invicem Pastoribus, constat ex iis omnibus Ecclesia qui, salvâ pace, dissentiunt, christianamque unitatem retinent: si quis enim ante latam, promulgatamque ab Ecclesia decretoriam sententiam, eos qui alites ac ipse sentiunt; ut Hæreticos vel Schismaticos habuerit; numquid idcirco ab Ecclesiasticâ communionem præceditur? numquid Hæretici erant vel Schismatici? nequaquam. Sed invito etiam adversario, in Ecclesia quam amant, et cujus iudicium exoptant, conquiescent; suam, si quam habent, auctoritatem retinebunt et jurisdictionem, populisque sibi commissis præerunt, Sacramenta administrabunt, etc. Quod concedendum esse manifestè patet exemplo sancti Cypriani quem, licet aliter quàm Stephanus Papa, cui major Pastorum pars adhærebat, sentiret, nemo tamen ut Hæreticum aut Schismaticum, habuit. Quemadmodum igitur in hac de Baptismo controversia, Ecclesia non desiit esse visibile, quia in ipsa erat, et quisquis cum sancto Cypriano et sancto Firmiliano existimavit iterandum esse Baptismum ab Hæreticis datum; et quisquis cum Stephano propugnavit eum non esse repetendum; ita etiam in omnibus quæ de aliquo dogmate oriuntur concertationibus, manet Ecclesia visibile; quia, post motas illas quæstiones Ecclesia ex iisdem constat hominis; ex quibus constabat antequàm excitarentur.

Enimverò dissentientibus, circa nonnullam quæstionem Pastoribus cur de Ecclesiâ non dixerimus, quod de eâ fatentur omnes, quandiù inter se de quæstionibus, etiam gravissimis, v. g. de gratia per se efficaci, dissident Theologi? jatquâ

sibilem esse Ecclesiam nemo negaverit: si quis enim quæsieret, quanam ex parte stet Ecclesia; an apud eos qui gratiam per efficacem defendunt; an apud eos qui eam impugnant; respondendum erit: apud utrosque reperiri Ecclesiam, quia et in ipsius sinu vivunt, et nullo Schismate disjunguntur; pariter ergo Pastorum controversiæ non impediunt quominus visibilis sit Ecclesia; hæc enim ut malos bonis permistos, suo gremio complectitur, sic malè sentientes cum rectè sentientibus continet, donec ipsa tandem aliud explicitè declaraverit.

Obj. 4<sup>o</sup>. Nutabunt omnia Ecclesiæ decreta si omnem iis auctoritatem detrahat paucorum dissensio. Prætereà Synodi generales Nicæna et Constantinop. I, et aliæ nullam eorum rationem habuere, qui decretis constitutis repugnârunt; vim ergo summam obtinet decretum, modò plurium consensione muniatur.

Resp. Ut diluatur hæc difficultas, advertendum est in fidei negotio duplex distingui quæstionum genus. Primum est, cum oppugnantur dogmata quæ apertâ constanti, tum fidelium, tum Pastorum omnium professione continentur. Hujusmodi erant quæ Arius, Macedonius, Pelagius convellebant. Alterum quæstionum genus in his doctrinæ Christianæ partibus versatur, quæ alterationum nebulis obscuratæ sunt; qualis fuit III seculo de Hæreticorum Baptismate concertatio. Quod spectat ad prioris generis dogmata, una est Catholicorum omnium vox et sententia. Quid ea de re sentiat diffusa per orbem Catholica Ecclesia, non quæritur: id enim cuilibet perspicuum est. Non ergo majori tantum numero, verum etiam universæ Ecclesiæ refragantur, quicumque ea dogmata impugnant. Idcirco inter Hæreticos recensendi sunt, et quamvis renitentur, immota nihilominus consistunt Ecclesiæ decreta.



At longè alia est ratio dogmatum quæ ex magnis disputationum fluctibus nondùm emerserunt, neque ad liquidam veritatem perducta sunt. In iis enim non quæritur an Ecclesiæ parendum sit, neque an vera sint et verbo Dei consona, quæ fidelium et Pastorum omnium ore eloquitur Ecclesia: obsequentissimos quippè illius filios ex animo se profitentur utrinque litigantes. Id unum quæritur, nimirum quid de ea re quæ in controversiam adducta est, censeat Ecclesia, quidve in antiqua Traditione consignatum sit. Quod priusquam eliquatum fuerit ab universali Concilio, vel concordissimâ Ecclesiæ ubique diffusæ auctoritate firmatum; nondùm adest illa consensus, quâ constat Ecclesiastici iudicii robur ineluctabile.

Quapropter si nonnulli, etiam numero pauciores, à pluribus dissentiant: audiendi sunt, nec quidquam constituendum, nisi quod consensu moraliter universali probatum fuerit. Propterea in Concilio Tridentino paucorum reclamatio, plurimorum impetum retardavit; nec ideò labefactantur Ecclesiæ iudicia: nullum quippe est, cum nondùm sit consensus moraliter unanimis.

Ex dictis facilè intelligitur meritò neglectos esse in Concilio Nicæno paucos illos qui à concordissimâ totius Ecclesiæ sententia recesserant, ut apertissimam Arii impietatem sequerentur. Eandem ob causam à Synodo Constantinop. I. nulla fuit eorum habita ratio, qui Spiritum Sanctum esse Deum impiè pertinaciterque inficiabantur, Meritò etiam anathemate confixi, suisque sedibus depulsi sunt Pelagiani, qui ea evertere nitentur dogmata quæ de originali peccato, et gratiæ necessitate constanter et apertè universa confitebatur Ecclesia.

Obj. 5°. Donatistarum Episcopos, licèt multos, quia numero superabat, à sua communione rejecti Ecclesia; ergo non obstat plurimorum dissentio, quin sua Ecclesiæ iudicio constet firmitas,

quandò majoris partis consensione pronuntiatum fuit.

Resp. Neg. conseq. Apud omnes enim in confesso est inter Ecclesiæ Pastores et fidei iudices non recenseri eos qui sese ab Ecclesiæ unitate segregant, ut privata sibi instituunt conventicula: ejusmodi autem erant Donatistæ, ut refert Vincentius Lirinensis; ( *Common. I. num. 4.* ) quo igitur numero fuerint cognoscere hic nihil interest. Ceterum ea de Hæreticorum Baptismate controversia Ecclesiæ universæ concordissimâ auctoritate, Augustino teste, dirempta fuit. ( *De Baptism. lib. 2. cap. 4.* ) Istud ergo exemplum adversarios premit, nedùm juvet.

#### ARTICULUS IV.

##### *An Ecclesia dispersa, sit infallibilis.*

Duobus modis considerari possunt Pastores: 1°. prout in Conciliis generalibus congregati; 2°. prout per varias orbis regiones dispersi; infallibiles esse Pastores in Conciliis congregatos, demonstrabimus in dissertatione sequenti, hic verò de ipsorum *infallibilitate*, quatenus per orbem universum dispersi sunt, agitur.

#### PROPOSITIO.

*Consensus Pastorum per orbem dispersorum moraliter unanimes in iis quæ ad fidem et mores pertinent, est infallibilis.*

Prob. 1°. *Portæ inferi prævalerunt adversus Ecclesiam, (Matth. 16. 18.) Ecclesia est columna et firmamentum veritatis. (1. Tim. 3. 15.)* Atqui, si consensus moraliter unanimes Pastorum per orbem dispersorum, in iis quæ fidem et mores spec-



non esset infallibilis, tunc portæ inferi adversus Ecclesiam prævalere possent, eaque immeritò diceretur columna et firmamentum veritatis; siquidem per illos Pastores universa representatur Ecclesia; per eos, tanquam Patres et Magistros docet; fictitium igitur esset non errandi privilegium, à Deo Ecclesiæ promissum; si Pastores per orbem universum diffusi, in falsum aliquod dogma tradendum, tanquam revelatum et necessarium credendum, conspirarent moraliter unanimes.

2°. Christus Apostolis et eorum successoribus ita promittit: *Docete omnes gentes, . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* ( *Matth. 28. v. 19 et 20.* ) *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* ( *Joan. 16. 13.* ) Atqui hæc promissa suo fraudibuntur effectu, si contingere possit ut moralis Pastorem universitas, extra Concilium generale in tradenda doctrina fidei moribus contraria, consentiat.

3°. Quia ubi Synodis quibusdam particularibus accedit Ecclesiæ dispersæ consensus, efficit ut quod in iis definitum est, fide credendum sit ut patet ex Synodo Arausicanâ secundâ: atqui eum effectum obtinere non posset hujusmodi consensus, nisi esset ab omni erroris periculo tutissimus; ergo, etc.

4°. Hæreses quæ tribus prioribus seculis exortæ sunt; ab autoritate infallibi damnatas fuisse, nemo Catholicus diffitebitur: atqui non aliter damnatæ sunt, quam per unanimum Ecclesiæ dispersæ consensum; ergo consensus ille ab omni erroris periculo est immunis.

5°. Necessè est ut agnoscatur in Ecclesia Judex supremus, infallibilis, vivens, spirans, semper præsens et subsistens, qui exortas de Religione controversias decretorio judicio definire possit: atqui judicem illud, nec esse Scripturam solam, nec Spiritum privatis quæ credenda sunt revelan-

tom, demonstravimus. Dicit etiam non potest judicem illud esse solum Concilium generale, quod rarissimè celebratur, et sine quo damnatæ sunt plurimæ hæreses; superest igitur ut judex suum in Pastoribus tribunal semper præsens ac subsistens habet.



## DISSERTATIO V.

### De Conciliis.

DE Conciliis sex erunt capita; in primo de eorum definitione, divisione et conditionibus ad Concilium generale requisitis disputabitur; in secundo, cujus sit Concilia convocare, et iis præsidere; in quarto, de eorum utilitate et necessitate; in quinto, de ipsorum autoritate; in sexto, de Principum potestate civili in Conciliis

### CAPUT PRIMUM.

*De Conciliorum definitione, divisione, et conditionibus ad Concilium generale requisitis.*

QUÆRES 1°. quænam sit Conciliorum definitio.

Resp. Concilium rectè definitur *legitima Pastorum, et maximè Episcoporum congregatio, ut ea communi sensu dijudicent, quæ ad fidem, mores*